


AN. XVII - N. 102  
AN. D. MCMXLVI-VII  
MM DECEMBRI et JANUARIO

# Palaestra Latina



Ordinarii et Superiorum licentia



AD  
AELIUM  
ANTONIUM  
NEBRISSENSEM  
PRIMUM APUD HISPANOS  
HUMANIORUM LIT-  
TERARUM CULTO-  
REM ODE  
LATINA

*Jamjam sonantem Aelius admovet  
Olim relictam non bene barbiton,  
Doctumque festiris lacessit  
Dicere carminibus Magistrum.*

*Qui litterarum praesidio ferox  
Divoque raptus numine, finibus  
Non ante dejectis Iberis  
Barblicas pepulit catervas.*

*Qui fonte puro Castaliae bibit  
Musis amores, et Sapientiae  
Arcana priscorum fluentia  
Gentibus Hesperiae reclusit.*

*Qui nunc ab almo candidus aethere  
Vultu sereno spectat Iberiam,  
Cui nomen aeternum reliquit  
Astra petens fugiente penna.*

*Isidorus MAULEON, C. M. F.*

*Celsoae XVI Kal. Dec. A. 1946*

# BIBLIOGRAPHIA

LEON LELOIR, des Pères Blancs. — *Poésies lyriques grecques*. Texte et traduction rythmée. Collection Lebègue, Bruxelles.

En tibi librum quo lyricae graecae transgrediari limina atque magnifica artis hellenicae elementa edocearis. Habes enim quaecumque possunt sub eo indice comprehendi. Selecta quaedam praecipuorum Graeciae poëtarum, Alcaei praesertim, Sapphus et Anacreontis proponuntur; versio pulchre ab Auctore interpretatur, atque aliis comitatur interpretationibus scriptorum Galliae; accuratae notationes tum historicae, tum biographicae, tum bibliographicae consequuntur cum critica et litteraria investigatione; nec desunt identidem Homeri, Vergilii ceterorumque opportuna recordationes, quae simul et pascent mentem, et modum quo apud singulos poëtas pulchrum percipitur, ostendunt. Optimus sane est liber. Si in litteris tiro es, dux erit tibi sollicitusque magister; si autem peritus et jam aliquando hujus recreatus amoenitate hortu hellenici, novos inde fructus eosque suavissimos te carpere edocebit. Quo vero magis sint tibi cuncta expedita, illas, quae passim solent, regulas, afferri de variis Hellados dialectis, de jonico praesertim, ut prius recolas admoneo.

H. GARCÍA, C. M. F.

A. TOVAR, Catedrático de la Universidad de Salamanca. — *Gramática histórica de la lengua latina, sintáxis*. Afrodísio Aguado, Madrid 38 pts.

Syntaxis latinae doctrina, quae in oculis traditur, perficienda est et complenda pluribus locis. Id probe demonstrat cl. Dr. et Cathedraticus Salmantinus A. Tovar, qui optimos quosque de Syntaxi latina scriptores impense est

scrutatus atque primus integram apud nostrates Syntaxim edidit historicam, in qua proferuntur hujus disciplinae progressus, investigationes, studia plurima cum auctorum sententiis, adnotationes quoque historicae traduntur atque psychologicae maximi momenti de nominum genere, de numero, de constructione, de casibus, de cet. Comparatur etiam Syntaxis latina cum Indaeuropaea, cum graeca, cum aliis antiquis ac recentibus linguis.

Quae omnia tibi persuadebunt hunc librum summo studio elaboratum esse, sana doctrina effulgere eumque necessarium fore complementum scholarum seu traditionalis grammaticae ad plurima dilucidanda et ad rationem de obscuris perficiendam. Librum igitur Dni. Tovar superioribus, qui Academiis frequentant, alumnis atque latinitatis magistris peropportuno ac necessarium censemus eisque enixe commendamus.

TRISTANIUS C. M. F.

G. M. TREVELYAN, C. M. — *L'Histoire et le lecteur*. Traduit par C. Seresia et présenté par C. Verlinden. Office de Publicité, S. C., Bruxelles.

En tibi, lector, cui historicae res juvant, parvulum hoc opusculum G. M. Trevelyan, viri angli et notissimi rerum scriptoris, venusto gallico sermone a Dna. Caecilia Seresia translatum, temporibus nostris opportunissimum quidem, cum tanti momenti res historicae habeantur, cumque tot sint qui historicis operibus vacent.

Conspicuis Dnus Trevelyan te, lector carissime, edocebit, concissa si legeris hujus opusculi folia, quod historiae sit momentum, quod mandatum historiae a Deo traditum in humani generis evolutiones.

JOSEPHUS M. COSCOJUELA, C. M. F.

# PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 15 pesetarum in Hispania et Lusitania, 16 pes. in America et Philippinis insulis, et 17 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, *Lauria, 5 - Barcinens - Apart. 1048*

**Summarium:** Ad Aelium A. ode, *I. Manleón*. — Aelius A. bonarum litterarum princeps, *M. Molina*. — De Nebrissensis vita et operibus, *J. Coscojuela*. — De bibliotheca Horatii, *E. Orb*. — commercium epistulare. — Stae. Clarae A. laus, *J. Urquiola*. — Andreana, *Avenarius*. — Nova et Vetera, *Mir*. — Index. — Curiosa et jocosa, *I. Manleón*.

## Aelius Antonius Nebrissensis bonarum litterarum apud Hispanos princeps

Vertente mense maio a. 1946, dies festos Nebrissenses celebrarunt, quingentesimum recolentes annum a nativitate Aelii Antonii, liberalium disciplinarum apud Hispanos principis. Ante magistri Baetici statuam revelandam, lecta est ode, quam Nebrissensis patriae laeque, modis imparibus, latine scripserat, cujus vernaculam quoque interpretationem J. M. Pemán recitavit.

Statua, praeter gymnasium ibidem nuper exstructum, perennis monumenti quod Hispani extollunt Nebrissensi, index est atque specimen. Lectoribus ergo PALAESTRAE Aelium Antonium ingenuarum litterarum cultorem, paedagogum ac philologicarum rerum auctorem exhibeamus.

**Bonarum litterarum cultor.** — Criticus scriptor<sup>1</sup> de Nebrissensi scripserat: «Longe omnibus praestans fuit humaniorum litterarum cultoribus Hispanis». Quod si nimium cuiquam forte videtur, saltem cum M. Menéndez y Pelayo<sup>2</sup> agnoscat necesse est Nebrissensem primum qui vias ad inexhaustos veteris sapientiae fontes omnibus ostenderit, barbariem debellaverit, ac Tormim, ut vates cecinit,<sup>3</sup> sacro Parmessidi miscuerit:

«Miscuit hic sacris Tormim Parmessidos undis,  
Barbariem nostro repulit orbe genus».

Humani cultus cupiditas atque studium, eum impulit in Italiam, ut ipse in exordio Vocabularii praefatur: «Itaque, annum decimum nonum agens, ad Italiam adii, nequaquam eo modo quo ceteri, sive ut ecclesiastica nempe beneficia impetrent, sive digestas juris civilis atque canonici formulas conquirant, proficiscuntur, sed ut post longum tempus, Latinos scriptores jamdudum exsules, in Hispaniam revocarem». Clarissimus Petrus Martyr Mediolanensis Aelii Antonii amicus, me-

1. FITZMAURICE-KELLY. — 2. *Ideas estéticas*, tom. 3, p. 197. — 3. ARIAS BARBOSA.

minit: «meum Nebrissensem qui se in Italia decennium inter odoras lauros, et vi-  
rentes haederarum corymbos, consumpsisse laetatur». — Ibi «dignos nobili voto  
Graecae Latinaeque linguae thesauros» collegisse ait Jovius.

Non tantum adulescentiae sed et totius vitae curriculo in his disciplinis ope-  
ram studiumque consumpsit, eoque commodo et fructu, quem in poetas ejus Scholia  
atque Salmanticenses praelectiones et Repetitiones testantur, et carmina, quae praeter  
animi poeticum ingenium, elegantius dicendi genus plane commonstrant. Confer  
Elegiam de patriae antiquitate, et Salutationem ad patriam.

Pro viribus in patria litteras suscitare ac renovare, mens atque consilium  
erat. «Assiduus, inquit loco quem memoravimus, modum quo barbarum dicendi  
genus dirimerem longe lateque in Iberia perfusum, meditabar».

Petrus Martyr hujusmodi conatus et certaminis venustissimam allegoriam  
protulit. Barbariem inducit haec de Nebrissensi, inter alia dicentem:

«Hunc postquam virides lauros haederasque sequentes  
Jam meruisse sibi vidit, Saturnia Tellus  
Ad patriam antiquam celeri discedere cursu  
Jussit ut infirmo generi succurreret et me  
Hispanis ageret terris, subitoque fugaret.  
Post multos variosque metus durosque labores  
Meque meosque solus vicit stravitque; nec ultra  
Me sinit has penitus terras habitare potentes».

Italorum humanitati contulit Aelius vim animumque omnino Hispanum, nam  
omnis paganitatis expers, summa ratio ei catholica fides erat.

**Probatus adulescentium institutor.** — Itaque Nebrissensis, praenosens quo modo  
in animos scholasticorum verba magistri inhaereant nullam aliam rationem, ad pro-  
positum excogitavit, praeter adulescentium eruditionem. Querebatur igitur quod  
praeceptores habuisset, qui, etsi multum in sciendo, parum vero in dicendo intelle-  
gerent. Privata institutio et magistrorum consuetudo, commodum et momentum  
eruditionis renovandae in tradendis linguis Latina praesertim, magis magisque ei  
ostendebant.

Primam Salmanticensem humaniorum litterarum cathedram adeptus, summa  
laetitia affectus est; ab adulescentia enim, reipublicae semine atque fermento, reno-  
vationem inire cupiebat. «Nec aliunde, inquit, barbariem hominum gentis nostrae  
evellere coepi nisi ab Universitate Salmanticensi, qua veluti arce expugnata, mini-  
me dubitabam quin universa Iberiae oppida dicioni meae subiectura essent». Nam

ab urbe Salmantica « . . . viros partes dimittat in omnes  
Otia qui rumpant, vacuent cultoribus agros,  
Et spargant nostris a se data semina terris»

Consilia tamen ejus duro segnitici ac levitatis tum praeceptorum tum alumno-

x. E carmine Nebriss. allegoriae Petri Martyris respondentis.

rum saxo illisa sunt, qui vetera tantum somniantem Nebrissensem arbitrabantur. Quamplurima passus est doctus institutor; nec tamen audiebantur ejus proposita, immo lucubrationes et opera deridebantur. Tandem magister de umeris deponens onus, potius profuturum cogitavit animum ad privata studia referre, quam tempus terere in tradendis litteris Latinis. His rerum adjunctis —praeter Aelii A. acrimoniam quamdam animi diuturnam—, minus prospere incoeptum in munere docendi est adscribendum, minime vero paedagogicis partibus; quarum praestantiam praedicant nonnulli discipulorum clarissimi quos informavit, ut nobilis Pintianus, qui graece Compluti Salmanticaeque praelexit, Lusitanus Resende ingenuarum litterarum Olisipone fautor, et ipsius Nebrissensis filia, Francisca, quae patri defuncto fertur in Complutensi cathedra successisse. «Delectaverunt me tamen non mediocriter quidam tui, simulacra tui nominis, scilicet, exsuscitatores juvenes eloquentia pollentes, discipuli tibi haud aliter grati quam suo Socrati divinus Plato».<sup>1</sup>

**Philologicarum rerum scriptor.** — Tota vero Aelii A. gloria in eo sita est quod in iis quae ad Latinum sermonem, sive vernaculum, sive rem biblicam attinent, magnus philologus exstitit, adeo ut quadringentos annos recentiore philologiam praecesserit. «Linguae Latinae tabernaculum atque novorum praeceptorum signum, primus ego tetendi». Ergo nec frustra parens philologiae vocatur, cum philologica monumenta magni quidem momenti exegit Nebrissensis, Latina, scilicet, Dictionaria, Introductiones, Repetitiones aliaque opera quae amplissimam ei dignitatem atque laudem pepererunt. Hispani quoque sermonis, tum temporis ob dialectorum numerum admodum inconstantis, stabilior appellatur. Aelius A. qui praeter grammaticus, studiosissimus patriae atque amantissimus erat, tot dicendi discrimina in unum redigere quam maxime oportere intellexit ad ipsius imperii conspirationem et consensum.

Cum Nebrissensis Elisabethae reginae, Grammaticae Hispanicae institutum ostendisset, ad quid inserviret, illa quaesivit. Grammaticus finem atque consilium in praefatione expositum reginae rettulit. Lingua —paucis ut rem comprehendamus— imperium adeo comitatur, ut simul orientur, et simul vigeant, simulque consenscant. Et Romanorum et Graecorum et Judaeorum historiae testantur: nec aliter sermoni vernaculo continget. Reges namque Catholici, Hispaniae membra quaque diffusa ad unius imperii compagem collegerunt. Nunc, prae ceteris expedit linguam florere, «linguam hanc, nempe, quae adhuc regulis carens, plurimas paulo tempore subiit mutationes» — «...statui ad artem sermonem nostrum redigere, ut nunc et dehinc scripta in posterum manere possint».

Studuit enim suo opere Nebrissensiss adjumentum parare quo Ferdinandi et Elisabethae subditi facilius Hispanicam linguam addicerent. Etenim a. 1492, quo regnum Catholicorum Regum, America inventa et urbe Granata expugnata, feliciter perficiebatur, in lucem Aelii A. Grammatica Hispanica edita est.

Sacras quoque Scripturas sibi apertas voluit, quarum cultum et disciplinam,

1. De quadam Petr. Martyr. Nebrissensi epistula.

theologis imprimis, valde consentaneum putabat; plures namque eorum, argutiis vocumque ludis intricati, vivis fluminibus relicti, exiguis hausibus rivulos bibebant. Pluries grammaticus Sacrorum locorum inconsultam interpretationem arguit; non omnes Latinum, immo et Hebraicum et Graecum sermonem, ut ipse, penitus callebant. Quamobrem Nebrissensem, eos in viam reducere conantem sacrilegii reum invidi crimabantur, utpote qui Grammaticae Institutorem in Sacras Litteras injicere manus auderet. Et crimen hoc erat quod germanae critices rationem adhibere et Graeca et Hebraica versaret exemplaria.

Aliter vero Card. Ximenes de Cisneros sese habuit; nam Cardinalis Grammaticum nostrum rerum instauratorem et habuit et ei opem tulit. Latinam ergo Vulgatae inspectionem ad Poliglottam suscepit, cujus in opere decem annos assiduus laboravit. Tum obtrectatores tantopere saevierunt, ut Aelium ad Inquisitionis Tribunal convenerint et ad cautelam duas locorum excerptorum avellerint *Quinquagenas*. Sui Apologiam, quae acriorem Tullii prae se fert eloquentiam, Nebrissensis ad Cardinalem scripsit. Historia demum vindicavit: Baeticus ille non poterat non triumphare.

De liberalibus igitur litteris apud Hispanos Aelium optime meruisse censemus. Quae ille vero Nebrissae suae dicavit, nos ad universam patriam protrahimus:

«Debemus patriae, plus tamen illa mihi.

Ille mihi dedit hunc vitae mortalis honorem,

Sed studiis nostris illa perennis erit».<sup>1</sup>

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

## De Nebrissensis vita et operibus

Aelius Antonius Nebrissensis, Hispaniae decus atque ornamentum, a. 1444, parentibus pietatis studiosis simul ac laboris, Nebrissae in antiqua urbe natus est, ibique primis humanis litteris eruditus. Paucis vero post annis Nebrissa, et Hispali derelicta, scientiarum studio flagrante pectore, Salmanticam petiit, ubi clarissimos in disciplinis praeceptores audivit. Impiger autem Scholasticus, majoris in dies doctrinae appetens, perrexit in Italiam, quae assurgentibus litterarum luminibus ipsum trahebat.

Anno 1465 Boloniam venit, turrium urbem atque scholasticorum ex omnibus civitatibus perfugium, ut in Conlegio Hispano scientiis operam daret. Classicis auctoribus Graecis atque Latinis imbutus ad patriae fines rediit scholasticus Baeticus, humanis litteris cumulatus.

Mortuo Arch. Hispalensi Dno. Ildefonso de Fonseca, ejus Maecenate, — qui Nebrissensem sobrini sui praeceptorem assumpserat —, ingenuas disciplinas ab Aelio Salmanticenses scholastici audiebant; ab iis enim decreverat diu cogitatam renovationem incipere. Malevolentiam vero et praeceptorum et discipulorum fasti-

1. *Elegia de patriae antiquitate*, v. 50-52.

diens, quorum constans exprobatio ignaviae erat, secessit penitus, ut studiis operibusque vacaret. In Ilipae (*Zalamea*) quiete et secessu, quendam simul ingenuum adulescentem erudiens, sua magna opera paravit. Nebrissensem tamen aularum desiderium trahebat, et anno 1505 denuo legit in Complutensi, deinde vero in Salmanticensi; unde Hispalim rediit, postquam cathedram amiserat injuria anno 1513, a quodam usurpatam, qui pecunia, ut fertur, discipulos corruperat. Quae omnia cum ad Card. Ximenes de Cisneros aures venissent, Aelium Antonium Complutum arcessiit, eique in Poliglotta conficienda praecipuas partes in lingua latina concedidit.

Post operosam vitam, anno 1522, pie quievit, et litterarum et patriae beneficium.

\* \* \*

Antonius Nebrissensis et philologus, et theologus, et philosophus, et rerum scriptor, et jurisperitus, et medicus et vel poeta fuit. Animo versatili auctor de omni re scibili scripsit: Commentaria in Vergilium, Terentium, Persium, Prudentium, Sedulium, philologus et grammaticus edidit in lucem; Artis quoque rhetoricae compendiosam coaptationem ex Aristotele, Cicerone et Quintiliano; acceptissimae fuerunt ejus Repetitiones, Institutiones seu Grammatica Latina, Grammatica quoque Hispana, et notissima Dictionaria: Dictionarium, scilicet, Latinum-Hispanicum et Hispanicum Latinum, Lexicon juris civilis, Lexicon artis medicamentariae, Lexicon sive parvum vocabularium, cet. In re biblica: Scholia in Epistulas Pauli, Petri, Jacobi et Johannis; Homiliae in Evangelia; Vocabularium Sacrarum Scripturarum; Quinquagenae et sui Apologia.

De rebus quoque historicis, et juridicis pertractavit ac venustissimis distichis Latinis humanarum litterarum apud Hispanos renatum cecinit.

Eximius patriae amans, in perficienda imperii ac linguae Hispanicae unitate maxime adlaboravit cum Regibus Catholicis, qui magni eum aestimarunt.

J. M. COSCOJUELA, C. M. F.

Celsoae, V Kal. Nov., 1946.

CHOCOLATES ORÚS - ZARAGOZA

LOS MEJORES DEL MUNDO

Marca de la Casa: Escudo de la Virgen del Carmen

No busque otros. Los mejores del mundo

CHOCOLATES ORÚS - ZARAGOZA

## De bibliotheca Horatii

De bibliotheca Horatii hoc loco agere in animo habeo, de qua adhuc nemo tractare conatus est. Poëtam bibliothecam habuisse demonstrari potest. Vergilium bibliothecam suam ad usum amicorum liberalissime aperuisse constat. Persius bibliothecam septingentorum voluminum scripta Chrysippi, philosophi Stoici, continentium Cornuto amico, philosopho Stoico, testamento reliquit. Silius Italicus aliam bibliothecam in villa conservavit. Ut illi poëtae bibliothecam propriam obtinuerunt, sic etiam Horatius multos libros habuisse videtur. Poëtae ad carmina continuo pangenda libris opus est, quibus animus incitetur et sententiae producantur. Praeterea qui librum compositurus est vel jam composuit, libros ab aliis scriptos habere solet. In «Arte Poëtica» vs. 268 269 Horatius his verbis Pisones adhortatur: «Vos exemplaria graeca nocturna versate manu, versate diurna. Libros graecos memorat, quia ipse illis saepissime utebatur. Sosiorum quoque, librariorum aequalium, Romae degentium, mentionem facit apud quos haud scio an ipse non raro libros emerit. Mirum esset si Horatius Athenis per quinquennium scholis eruditus sine libris Romam revertisset, sine libris Romae vixisset, modosque graecorum sequens carmina sine libris fecisset. Verisimile est poëtam bibliotheca Palatina (ab Octaviano anno a. Chr. n. 28 condita) usum esse. Flaccus ipse, vir satis dives, libros non solum dono accepit, verum etiam sibi emit. Propter diversissima metra carminum, quorum normam poëta sequitur, libros ipsos ante oculos eum habuisse necesse est; nam ex memoria omnes versiculorum formas certissime et sine errore distinguere ne Horatio quidem tam facile contigerit. Compositio «Artis Poëticae» non sine multis operibus aliorum auctorum fieri poterat; est enim illa «Ars» quasi historia quaedam litterarum romanarum et graecarum. Porro Christianus Jensen philologus demonstravit Horatium tractatum specialem «De poëmatibus» usurpasse quem Neoptolemus περί ποιημάτων scripserat. Hoc opus graecum vates romanus ad «artem poëticam» componendam plurima adhibuit. Denique multa nomina antiquorum auctorum, qui extra illam longam epistulam poëticam in ceteris carminibus indicantur, ostendunt opera ipsa eorundem auctorum in Horatii bibliotheca existisse. Flaccus non solum poëtas romanos et graecos, sed etiam scriptores orationis solutae: philosophos, historicos, grammaticos, rhetores possedit.

In sequenti tabula auctores romani et graeci enumerantur et eo ordine sequuntur quo apud *romanos* poëtae et scriptores varii, apud *graecos* autem poëtae, philosophi, scriptores varii ad litterarum seriem perscribantur:

### CATALOGUS AUCTORUM BIBLIOTHECAE HORATII

| ROMANI          | GRAECI       | ROMANI    | GRAECI      |
|-----------------|--------------|-----------|-------------|
| 1) Poëtae       | 1) Poëtae    | Caecilius | Callimachus |
| Accius          | Anacreon     | Crispinus | Choerilus   |
| Afranius        | Archilocus   | Ennius    | Cratinus    |
| Julius Antonius | Aristophanes | Fundanius | Epicharmus  |



| ROMANI          | GRAECI      | ROMANI                     | GRAECI                     |
|-----------------|-------------|----------------------------|----------------------------|
| (Horatius ipse) | Eupolis     | 2) <i>scriptores varii</i> | 2) <i>philosophi</i>       |
| Labeo           | Hermogenes  | Cato Censorinus            | Aristippus                 |
| Laberius        | Homerus     | (Cicero)                   | Bion                       |
| Lucilius        | Menander    | Furnius                    | Chrysippus                 |
| (Lucretius)     | Mimnermus   | Livius                     | Crantor                    |
| Maecenas        | Philodemus  | Messala                    | Democritus                 |
| Mevius          | Pindarus    | Sallustius                 | Empedocles                 |
| Naevius         | Pitholeon   | Sisenna                    | Epicurus                   |
| Oævius          | Sappho      | Varro                      | Panaetius                  |
| Pacuvius        | Sophocles   |                            | Philodemus                 |
| Plautus         | Stesichorus |                            | Plato                      |
| Plotius         | Telephus    |                            | Polemo                     |
| Pollion         | Tyrtaeus    |                            | Stoici                     |
| Terentius       |             |                            |                            |
| Titus           |             |                            | 3) <i>scriptores varii</i> |
| Varius          |             |                            | Aristarchus                |
|                 |             |                            | Heliodorus rhetor          |
|                 |             |                            | Timagenes                  |

Haec enumeratio auctorum quorum opera vel omnia vel partem in bibliotheca Horatii fuisse putamus, monstravit scriptores graecos majore numero et auctoritate apud poetam et alios illius aequales valuisse. Diu enim Romae auctores graeci multo majorem bibliothecarum partem expleverunt quia tot viri docti graeci servique ex terris graecanicis apud permultas familias romanas divites et eruditione graeca insignes vivebant et litteras graecas docebant. Circa septuaginta auctores apud Horatium invenimus, quorum opera, ut opinor, complura centum volumina complexa sunt. Poeta nescio an plures codices in bibliotheca sua obtinuerit, quam in carminibus indicaverit.

Huic collectioni auctorum ab Horatio lectorum et conservatorum parvum iudicium de poeta ipso addere velim.

(Sequitur)

EMIL ORTH.

## Commercium epistulare

*Josephus M.<sup>a</sup> Mir Andreae Avenario S. V. D. sal. pl.*

Superioribus diebus — cum PALAESTRAE LATINAE pagellas colligebam, quae fasciculum IOI effingerent — saepe Avenarium cogitabam cui nondum per publicos tabellarios epistularem responsionem miseram cum ille jucundissima me donaverat. At PALAESTRAE fasciculum, cui inseritur responsio, prius editum optabam eumque statim tradendum cursui postali ad amicum constitueram. Quid vis? typhetis parandum certo. Ea tamen dum animoolvebam sanctus Andreas liturgico festo honorandus adest. Tuo igitur nominali die recurrente quo modo tui obliviscar, qui

tot in nos beneficia et dona litteraria praestitisti? Tui autem ut memoria dulcior ac suavior animo esset hymnos, quos Sancto tuo Patrono dicaveras atque in PALAESTRA LATINA numero 38 editi sunt, libentissimo animo ac maxima mentis suavitate perlegi.

Promissa tua exspecto inserenda in sequenti fasciculo.

Valetudini tuae curam diligenter impende teque nobis incolumen serva.

Barbastro, pridie kal. decembres.

*Andreas Avenarius S. V. D. Joseph Mirio C. M. F. S. D. P.*

En tibi veteris amicitiae novum argumentum, quod in PALAESTRAM referendum, si censoris habuerit clementiam, nisi.

Utinam illud mihi otium esset, ut tantam copiam rerum colligere fas esset, totam PALAESTRAM ut implerem optimis exemplis Latinitatis. Mihi nunquam est persuasum illud vitae et profectus signum in commentariis vel ephemeridibus esse, si moderatores ad textum confugere debeant, qui in omnium doctorum et hercle discipulorum manibus esse debeant, nisi forte ideo ponantur, ut illustrentur explicationibus, et quasi quadam messe Latinitatis. Si ut exemplum dicam, aliqua Ciceronis epistula proposita in paginis PALAESTRAE ita notis illustretur, ut sensus legenti iterum quasi manibus capiatur, et statim ostendatur, quomodo Ciceronis verba ad cotidianas res nostras, in nostram circumstantiam, transferantur, hoc dignum est argumentum. Sed quam multi thesauri foedo pulvere tecti dormiunt in bibliothecis! Quam multa materia inusitata jacet in antiquorum humanistarum voluminibus, quam multa aurium et mentium oblectamenta sunt apud scriptores ecclesiasticos, ut apud Hieronymum, quae eadem et exempla linguae essent! Sed quia omnes onere et ea quae dici sufficiat plaga vel malitia gemimus, in illud regnum Latinitatis et redintegrationem sermonis Latini incumbere non possumus. Est error non paucorum rem Latinam subsecivam esse posse post alias occupationes. Sint ingenia, quae nullo negotio aliquid in lucem proferre possint, quod luce dignum sit. Plerique mortalium, nisi unam provinciam sibi administrandam delegerint, in eaque desudaverint virili parte, antesignani esse non poterunt.

Sed fortasse meum erit, quae hic obscure proloquor, et multis, ut video, machinariis erroribus exortis ob «recedentem jam igneum solem» eadem illustribus exemplis docere. Si fuerit otium, quod, ut nunc est, per officium meum nimium est contractum. Et aliqua etiam cura veteri cuti est opus, imprimis opus motione est; sed nulli nascuntur in motione et circumsensione articuli.

Fac valeas et amicis illis meis verbis dic salutem. Roma, XIV kal. Nov.

P. S. — Die tuo nominali, vespere, plagulas *Andreana* continententes, cum mihi gratissima epistula, accepi. De tuo Patrono inventa et excogitata mittis, ipso recurrente festo Sancti Andreae ac postquam vetera eaque exquisita carmina *Andreana* tua ipse perlegerim libenter.

Tuum certe est multa, quae jacent oblitterata, in lucem proferre atque ad nostros cottidianos usus accomodare ut jam pridem in ALMA ROMA et in PALAESTRA nostra LATINA fecisti. Optatum tandem otium nactus est et quamquam «minus garrulus» te ipse appellas, facilitatem, abundantiam, sermonis elegantiam ac venustatem nequaquam amisisse videris: quas dicendi virtutes maxime amamus easque, ut in PALAESTRA exercere ne desistas, postulamus.

Pelliculam tuam sedulo cura et valetudinem confirmet Dominus.

Barbastro, postridie kal. decembres.

J. M.

# Sanctae Clarae Assisiensis Laus

## I

Quicumque amatis arduas  
Vitae supernae semitas,  
Seu pergitis conscendere  
Virtutis altae culmina,  
Adeste: musa parvula  
Miranda gesta concinet,  
Exempla promet inclita,  
Quibus trabantur pectora.  
Si forte nunc requiritis  
Quisnam sit heros carminis:  
Imbellis est, at viribus  
Instructa Christi, femina.

## II

Laetos per agros Umbriae  
Urbs est, vocata Assisium,  
Qua nulla certe illustrior  
Terris coruscat Italis.  
Hic ille pacis signifer,  
Crucisque amator maximus,  
Ducit vicissim nobilem  
Mittitque vitae spiritum.  
Hic illa sponsa amabilis,  
Cultrixque Christi sedula,  
Ut alba stella, diffugit.  
Sic mater alma duplicem  
Prolem venustam procreat,  
Praeclara quorum sanctitas  
Telluris implet terminos.  
Non aurum opesve regiae  
Fortassis urbem decorant;  
Sed liberorum gloria  
Illius ambit tempora.

## III

Ut moris est, et lucidus  
Exposcit ordo carminis,  
Libetne nunc originem  
Nomenque nosse heroidis?  
Est orta claro sanguine  
Longe patrum nobilium;  
Cunis quiescit aureis,  
Domum colit ditissimam.  
Quidquid beatam reddere  
Vitam valet mutabilem,  
Opes, amorem, gloriam,  
Sortitur illa infantula.  
Dum mater ejus anxia  
Lecto recumbens parturit,  
Vox est polorum reddita:  
Edes jubar pulcherrimum,  
Haec verba quorsum dulcia?  
Quidnam volunt portendere?  
Sic mente, miscens gaudia,  
Caeli volutat nuntium.  
Enixa deinde laetior,  
Nec non futuri praescia,  
Deosculando filiam,  
Haec est profata: ocellis mil  
Cunctis thesauris carior!  
Tu lux eris clarissima  
Mundi tenebras diluens.  
Sis ergo Clara nomine.  
Nomen novum proculditur,  
Vitae novae praesagium:  
Quae clara fulget nomine,  
Rebus nitebit clarior.

JOSEPHUS ANTONIUS URQUIOLA, O. F. M.

# ANDREANA

Erat in quibusdam litteris ad me nuper ex Hispania datis exspectari ab lectoribus PALAESTRAE LATINAE scriptorum tributa meorum. Quod ille, quam vere scripserit, viderit ipse; ego certe per varietatem occupationum perque paupertatem ingenii atque «inventionis» difficultatem minus jam factus sum garrulus. Sed tamen, cum non sit facile amicis petentibus negare, de qua re scriberem coepi deliberare. Neque vero diu deliberandum erat, quia cito mihi subiit illa vobis proponere, quae me paulo ante officio vacuum hic Romae, in caloribus sextilis mensis tenuerant. Quo mihi mense contigit, quod septem jam annis desideraveram, ut oculis lustrarem Vaticanam civitatem et apostolicum palatium. In ea autem perlustratione ingressi sumus etiam in aulam, ubi sanctorum reliquiae asservantur, ubi mire adfecto animo et nostro commodo contemplantur caput Laurentii levitae et os illud et illos dentes, quibus is cum Xysto pontifice et cum tyranno carnifice protulit, quae in viri officio sacro paulo ante repetiveramus. Postea jam peracta circuitione in mentem mihi venit me in eo reliquiarum regno fortasse etiam caput Andreae Apostoli, quod in majoribus numeratur Ecclesiae S. Petri reliquiis, spectare potuisse, et jam me ipse condemnari socordiae. Postea tamen rescii capitis videndi nulli dari copiam, quod inclusum esset aëno ferruminatoque busto. Hac igitur spe dejectus recordari coepi veteris desiderii ut illum sermonem quo anno 1462 pridie idus aprilis sacrum caput Apostoli Romam allatum Pius Papa II consalutasset, latinum haberem, cujus interpretatio germanica esset ad manum. Et magni cujusdam amici interventu factum est, ut in quadam bibliothecae vaticanae parte sedens eum sermonem ex secundo tomo Commentariorum Pii II exscriberem.

Quis non cupiat cognoscere exemplum Latinitatis illorum temporum, quibus interrupto naturalis evolutionis cursu effossa esset elegantior antiquitas? Et est mediisfidius pretium operae ex illa actione agnoscere mentem et studium tanti Pontificis, qui post Pium Papam et martyrem, qui mortuus est anno 156, anno 1458 secundum se Pium esse voluit praedecessor tot aliorum deinde Piorum summorum Pontificum.

Poteram igitur, si vellem istius sollemnis salutationis vobis copiam facere legendae, moderatorem PALAESTRAE rogare sic: «Meministin' in lectione sexta officii S. Andreae narrari caput apostoli Pio II pontifice Romam allatum in basilica S. Petri collocatum esse? In ea advectione Pius ad pontem Mulvium eleganti et latina allocutione salutavit caput, quam allocutionem nuper in Vaticana bibliotheca ex quodam volumine exscripsi. Oro ut in PALAESTRAE paginis referri cures, quoniam credo quibusdam lectoribus jucundam cognitionem futuram. Est autem haec:»

Sane quidem concissa fuisset oratio, sed parum accommodata tanti Apostoli dignitati, parum etiam moris Romani, siquidem Roma praecipuo quodam honore cultuque prosecuta semper est Petri sui fratrem. Postremo ea brevitatis dedecet etiam apostoli clientem. Idcirco ego paulo altius repetere et quae scriptores prodiderunt de sacris S. Andreae exuviis summatim exprimere constitui, neque id

frustra, opinor. Nam si, quae scripsero, non magnopere motura sunt omnes, quorum sub oculos ceciderint, quibusdam placitura certo scio: illis, qui una mecum illius apostoli et nomine gloriantur et tutela.

Exanimam Andreae Apostoli corpus depositum de patibulo est cura Maximillae, nobilissimae matronae Patrensis. Est antiphona: tulisse corpus Apostoli Christo amabilis et optimo loco cum aromatibus sepelisse. Si fidem mecum adhibeas visis ab Anna Catharina Emericia, moniali westfalica, si forte hoc nomen jam accepisti, illa Maximilla fuit amita Saturnini, quem illa vates vidit sequentem cum Andrea Christum hortante Johanne: Ecce Agnus Dei. Et tria quidem saecula corpus S. Andreae Patrensis mansit. Anno deinde 357 una cum ossibus S. Lucae et S. Timothei Constantinopolim, in basilicam Sanctorum Apostolorum translatum est relicto Patrensis capite. Quod est in lectione breviarii Constantino imperatore translatum esse scriptoris alicujus error esse videtur, siquidem anno 357 translatum esse constat, et Constantinum mortuum esse anno 337. Dicendum erat «Constantio» imperatore, nam is successit Constantino patri Constantinopoli, et victo Magnentio totius imperii potestatem tenuit ab anno 351 ad annum 361, quo anno est mortuus. Constituto post quartam earum expeditionum quae cruciatae dicuntur anno 1204 Constantinopoli imperio Latinorum, multi reliquiarum thesauri, quae in ecclesiis Graecorum inveniebantur, ne in impias irruentium infidelium manus inciderent, deportati in occidentem sunt. Tum etiam Petrus Capua cardinalis, legatione pontificia functus in partibus orientalium, multas accepit sanctorum reliquias, sed pretiosissimam illam, quam anno 1208 civibus donavit suis — fuit Amalphitanus — corpus S. Andreae Apostoli, quod illi etiam nunc in cathedrali ecclesia urbis suae tutantur, qua illi possessione, invidenda sane, etiam nunc aliquo gaudent nomine.

Sed manserat adhuc Patrensis Andreae caput destinatum divinitus basilicae quae exuvias tenet Petri germani ejus. Et dicam quibus rationibus Providentia Andreae iter Romam patefecerit. Insulas Graeciae dilapso imperio Constantinopolitano nobiliores Galliae et Venetiae gubernabant. Sed appropinquante Turca dominatione privari coepti sunt auxiliumque petentes non pauci Romam ad Summum Pontificem confugerunt.


Quorum unus fuit Thomas Palaeologus, rex Moreae, quo nomine media aetate appellari solebat Peloponnesus. Jam anno 1432 Amuratus II expugnaverat praesidium isthmi, et anno 1442 vastata litora erant. Sed cum Thomas anno 1459 temere fregisset, quae cum Porta Osmanica pepigerat, et cum Demetrio fratre contendere coepisset Mohamedus II aperte ditans jam finem imponendum esse dominationi Palaeologorum in ipsam Moream populabundus cupidusque caedium irrupit. Tum Thomas V. kal. Aug. a. 1460 desperatis rebus Corcyram fugit in hospitium Venetorum, et invitatus a Pio Pontifice mense novembri Anconam contendit secum ferens depromptum ex urbe Patris caput Andreae Apostoli. Quod quidem Cardinali Olivae traditum Pius custodiri jussit in munitissimo castello urbis Narniae.

Romae.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

(sequar)

# NOVA ET VETERA



PICTURA 14.ª SCAENA II,

SILVA - VENATIO

1. — Heri jucundam diem in silva egi. Industria, quae in animalibus et insectis<sup>5</sup> — quibus est frequens silva — viget, maxima delectatione me affecit.

Aranca,<sup>1</sup> quae telam<sup>2</sup> inter duos ramos contexit ut muscam praetereuntem capiat, cochlea<sup>4</sup> quae operose concham trahit, scarabaeus praedam consectans, diligens formica juxta cavernam<sup>6</sup> inquieta: totus hic parvus mundus ibat, redibat, miro quodam fervore operabatur.

2. — Serpens,<sup>7</sup> quem primo viperam cogitaveram, sed qui coluber tantum erat in arboris trunco se complicabat et interdum tenue caput, quod semper ad morden- dum paratum videbatur, producebat. Coram me grandis limax<sup>8</sup> graviter serpebat, postquam quaedam ex dulciculis fragis,<sup>11</sup> quae hic copiose nascuntur, devoraverat.

3. — Solum silvestribus floribus conspergebatur; primulae veris,<sup>9</sup> vincapervin- cae<sup>10</sup> aliaeque complures stirpes, quas ego non videram, inter herbarum cristas<sup>12</sup> flore- bant.

4. — In hac regione, tuber fere ut boletus<sup>14</sup> abundat et porculus — qui custo- dis silvae erat —, subtili gula ut quaedam detegeret, quaeritabat.

5. — Scaenae finem, quae me plurimum oblectavit, spectavi. Custos silvestris, ex sui canis venatici<sup>15</sup> narium sagacitate, improvisus aderat praedatori<sup>16</sup> qui vena- tionem,<sup>17</sup> quam occiderat, secum asportare tentabat. Praedator diffugerat, cum praedam deponere, potius quam comprehendi maluisset, ac lepus,<sup>18</sup> cerva,<sup>19</sup> ca- preolus,<sup>20</sup> aperque<sup>21</sup> maxima custodis voluptate in gramine jacebant.

6. — Silva miram quandam arborum varietatem complectitur. Fagi<sup>23</sup> et betul- lae,<sup>26</sup> pini quae resinam<sup>27</sup> generant. quercus<sup>29</sup> aliaeque plures, ramos intexunt. Hedera,<sup>24</sup> quae magnarum arborum trunco adhaeret, procerae silvae viriditatem atque splendorem tribuit, qui placide cum clariore et leviori musci<sup>31</sup> colore con- venit, ubi picus viridis<sup>30</sup> insecta perquirat.

7. — Vetustae quercus animum allegerunt. Earum praegrandes ac tortae radi- ces<sup>32</sup> e superiore solo emergentes, roboris atque vigoris speciem praebent; ac me- cum ipse quaero quare dominus<sup>35</sup> animum inducat ut eas caedat et serrae<sup>34</sup> ligna- toris<sup>33</sup> tradat. Miselli trunci<sup>36</sup> cortice<sup>37</sup> denudati aut operarii<sup>39</sup> ascia<sup>38</sup> discissi miserationem mihi movent.

8. — Prope, senex carbonarius<sup>41</sup> rutro carbonis struem<sup>42</sup> concinnabat, et anus sarmentorum aridorum fascem,<sup>40</sup> ex scopis arborum caesarum compositum, expor- tabat.

9. — Parumper in custodis<sup>46</sup> domo quiescere optabam, sed cum prope stag- num<sup>45</sup> perveni, in quo bellulus cygnus<sup>45</sup> natat, recentem eluvionem<sup>44</sup> viam in pa- ludem permutasse perspexi. Iter mihi fleendum fuit atque transiens juxta ce- drum,<sup>49</sup> populos,<sup>48</sup> ulmumque<sup>47</sup> quae ad semitae oras jacent, e caedua silva<sup>54</sup> mi- rum cervum<sup>50</sup> erumpere vidi, atrociter lacessitum canum turba, quam insuper exploratorum<sup>52</sup> cornu<sup>53</sup> concitabat. Miseranda fera invalida jam erat. Quae per- pauculis ante me passibus emortua concidit.

10. — Custodis silvestris filius, quem venationis insectationisque strepitus allegerat, domo egressus est, et ambo in silvam reversi sumus. Super ramulum ve- tulae quercus picam<sup>56</sup> perspexerat. Nidum autem in fronde<sup>58</sup> latere arbitrabatur. Quem detegere cupiebat.

Velut sciurus<sup>61</sup> agilis a ramo in ramum<sup>55</sup> enitebatur, at nihil repperit idque tantum effecit ut anus cornix,<sup>60</sup> quae in ramo<sup>57</sup> insidebat, evolaret.

## VOCABULARIUM

- insecta, orum, n. pl., [bestiola, ae], insecto, insecte.
- frequens, ntis, poblado, peuplé.
- 1 aranea, ae, araña, araignée.
- 2 tela, ae, tela, toile.
- 4 cochlea, ae, caracol, escargot.  
concha, ae, concha, coquille.  
scarabaeus, i, m., escarabajo, cerf-volant.
- 6 caverna, ae, f., bormiguero, fourmière.  
fervor, oris, m., animación.  
vipera, ae, víbora, vipère.  
coluber, ri, m., culebra, coulevre.  
se complicare, agazaparse, se blottir.  
tenuis, e, delgado, fin.  
producere, sacar, sortir.
- 8 limax, âcis, babosa, limace.  
graviter, penosamente, lourdement.
- 9 primula veris, primavera, primavère.
- 10 vincapervinea, ae, [vicapervica], hierba doncella, pervenche.
- 11 fraga, orum, n. pl., fresa, fraise.  
copiose, en abundancia.
- 12 crista, ae, porción, montón, touffe.  
tuber, ěris, n., trufa, truffe.
- 13 porculus, i, m., pequeño cerdo, p. porc.
- 14 boletus, i, m., bongo, champignon.  
subtili gula, con aire goloso, d'un air gourmand.  
narium sagacitas, olfato, flair.  
venaticus, 3, de caza, zarcero, basset.  
custos silvestris, guardabosque, garde forestier.
- 18 lepus, ěris, m., liebre, lièvre.
- 20 capreolus, i, m., corzo, chevreuil.
- 22 praedator, oris, m., cazador furtivo, braconnier.
- 23 fagus, i, f., baya, hêtre.
- 24 hedera, ae, yedra, lierre.
- 25 procera silva, oquedal, futaie.  
viriditatem atque splendorem tribuere, dar un tinte verde reluciente, donner une teinte verte brillante.  
convenire cum, hermanarse, s'unir.  
color, oris, m., tono, ton.  
levis, e, suave, doux.
- 26 betulla, ae, abedul, bouleau.
- 29 quercus, us, f., encina, chêne.
- 30 picus viridis, picoverde, picvert.
- 31 muscus, i, m., musgo, mousse.  
animum allicere, encantar, charmer  
torquere, torcer, tordre.  
e superiore solo emergentes, medio salidas del suelo, sortant à moitié de terre.  
species, ei, f., apariencia, apparence.  
caedere, hacer cortar, faire abattre.
- 34 serra, ae, sierra, scie.  
denudatus, 3, despojado, dépouillé.
- 37 cortex, ěcis, m., corteza, écorce.  
discissus, 3, bendido, fendu.
- 38 ascia, ae, bacha, cognée.
- 39 operarius, ii, jornalero, journalier.  
rutrum, i, n. [pala, ae], pala, pelle.
- 40 fascis, is, m., baz, fagot.  
scopae, arum, pl. f., ramitas, brindilles.
- 42 strues, is, f., montón, meule.  
concinnare, preparar, préparer.
- 43 stagnum, i, n., estanque, étang.
- 44 eluvio, onis, f., inundación.  
palus, ūdis, f., pantano, marécage.  
iter mihi fleendum fuit, tuve q. dur un rodeo, je dus faire un détour.
- 45 cygnus, i, m., cisne, cygne.
- 48 populus, i, f., álamo, peuplier.  
ulmus, i, f., olmo, orme.  
erumpere, desembocar, déboucher.
- 54 caedua silva, soto, taillis.  
turba canum, jauría, meute.  
explorator, oris, m., montero, piqueur.  
invalidus, 3, sin fuerzas, à bout de forces.  
venatio atque insectatio (?) montería, chasse à courre.
- 56 pica, ae, picaza, pie.
- 58 frons, ndis, f., follaje, feuillage.
- 60 cornix, ěcis, f., corneja, corneille.
- 61 sciurus, i, m., ardilla, écureuil.  
eniti, trepar, grimper.  
anus, us, f. (subst. - adj.), vieja, vieille.

JOSEPHUS M MIR, C. M. F.



# Index rerum auctorumque

1944 — PALAESTRA LATINA — Núm. 89

(fasciculos signamus et paginas)

## COMMERCIIUM EPISTULARE

- Arredondo — Mir, 89, 7.  
Mir, Clarissimo atque humanissimo  
Eugenio D'Ors, 89, 14.

## EXERCITATIONES SCHOLARES

Bilbao, Gozzi, 89, 2.

## LITTERAE

Haberl. — De erratione Georgii Pelletieri pueri, 89, 16.

## PER ORBEM

J. B. — Revista nacional de Educación.

Summarium pro annis 1941-42-43-44  
89, 19.

## POETICA

Ríos. — Nuptiae Christi Regis, 89, 12.

## VARIA

Giral. — Juppiter, 89, 12.

## NOVA ET VETERA

Avenarius, Mir. — De Billardo, 89, 3.  
Mir. — Schola. Lyceum, Aula, 89, 8.

## CURIOSA ET JOCOSA

Casanoves, Franquesa, Gimeno, Sanje-  
rónimo, Aperte, Aspa, 89, 20.

1945 — PALAESTRA LATINA — Núm. 90 - 95

## ALLOQUIA SOCIIS ET LECTORIBUS

Exitus Certaminis, 90, 25.

## BIBLIOGRAPHIA

- Alonso — Leopoldo Juan García, Gramática Griega, 90, 38.  
Ramos. — Enrique Basabe, Colección de Temas estilísticos, 90, 38; Edelvíves, Lengua Griega, 95, 126.  
Bagaria. — Julián Gil de S., Método práctico para traducir Latín; V. Gómez Bravo, S. J., Prosa Selecta de autores Españoles, 90, 39; V. Gómez Bravo S. J., Silva dramática, 91, 58.  
Mir. — Abad Antonio, S. J., Tratado de las oraciones castellanas, ensayo propedéutico al estudio de las oraciones en las lenguas clásicas; Echauri Eustaquio, Gramática Latina, fonética y morfología con nociones de sintaxis; Spes, Diccionario ilustrado latino-español, español-latino; Basabe, Temas de composición griega II sintaxis; Rufo Mendizábal, Lengua Griega, 91, 59.  
Canals. — Mesa, C. M. F., Livii Historiae selectae o Viñetas Históricas de T. Livio, 91, 59.  
Tristanus. — Echauri, Diccionario Griego-Español; B. Durán, Laelius et Cato Major; Olea Montes, Lyricorum Car-

minum Selecta, 92, 78; D'Ors Alvaro, Cicerón, Defensa del poeta Arquías; Cicerón Defensa de Aulo Cecina; Spes, Diccionario abreviado latino-español, español-latino; Echauri E., Lengua Latina. Sintaxis con apéndice de fonética, morfología, prosodia y métrica, 93, 99; Vox, Diccionario General ilustrado de la Lengua Española; Martínez Ayala, Diccionario escolar latino-español y español-latino, 94, 118

## COMMERCIIUM EPISTULARE

- Ramos-Mir. — 90, 37.  
Epistolia soluta, 90, 37; 92, 78.  
E. Obiang. — Alumnis Conl. Barcin. C. Mariae, 90, 39.

## COLLOQUIA IN SCHOLAM

- Pasquetti. — Propola circumforaneus, 91, 56; Morbus insanabilis, 94, 115; Decimus et Calidorus apud macellum, 95, 139.  
Jové. — Pila ad scrobiculos, 92, 76.

## COMPOSITIONES VERTENDAE

Principios de la Literatura Latina. — Autocinetum et testudo. etc., 95, 138.

## CURSUS GYMNASTICUS

Tullus Tironi S, 95, 127.

## EXERCITATIONES SCHOLARES

- Tous, Laguna, Salvador, 90, 22.  
 Ezono, Albertus. Mago, 91, 42.  
 Suárez, Peláez. Blasi, 92, 79.  
 Ortiz, Dialogus de Oratoribus, 93, 97.  
 Aspa, Vives, Ariz, Canals, Bosor, 94,  
 López, Conejero, Ariz, 95, 122.

## GRAMMATICA

- Mir.* — Adjumenta Grammaticalia, 90,  
 30; 91, 50; 92, 70; 93, 90.

## HISTORICA

- Canals, García.* — De Rufino Josepho  
 Cuervo, 95, 123.

## LITTERAE

- Guillén* — De optimo genere oratorum,  
 90, 23.  
*Haberl.* — De erratione G. Pelleteri  
 pueri, 90, 28; 91, 54; 92, 68; 93, 86; 94,  
 117.  
*Ruiz.* — Preludio al Canto VI de la Ilfa-  
 da, 91, 52; 92, 66; 93, 95; 94, 110; 95,  
 135  
*Pardinilla.* — De recta optimorum ora-  
 torum imitatione, 92, 63; De studiis  
 litterarum et humanitatis, 93, 83; 94,  
 103  
*Mir.* — Schola Latinitatis, 94, 112

## PER ORBEM

- Nonnulla de F. Rodríguez Marín, Asín  
 Palacios et Cuervo, 91, 56.

## 1946 — PALAESTRA LATINA — Núm. 96 - 101

## ALLOQUIA SOCIIS ET LECTORIBUS

- Monitum, 98, 199.

## BIBLIOGRAPHIA

- Ramos.* — Sebastián Yarza, Diccionario  
 Griego-español; Edelvives, Lengua  
 Latina, 96, 149.  
*Tristanus.* — Vives, C. M. F., Dicciona-  
 rio de bolsillo Latino-español, 96, 150;  
 G. Thomsen, Historia de la Lingüísti-  
 co; Guillén, Pbro., Estilística Latina;  
 Guillén, Pbro., Clave de latín, 97, 175;  
 Rodríguez Brassa, S. J., Stilística La-  
 tina, 98, 197; J. A. Urquiola, O. F. M.;  
 Sanctae Clarae Assisensis laus, J.  
 Tolrá, El gran renacentista español  
 D. Antonio Agustín Albanell, uno de

## POETICA

- Canals, Molina.* — Carmen triumphante,  
 90, 26; Cernite athletam, 95, 129.  
*Loza, Marcos.* — Genius, 90, 46.  
*Marcos.* — Imagunculae Claretianae,  
 VIII, 92, 62.  
*Currea.* — Via Crucis, 92, 62.  
*Arrieta.* — Horatiana, 92, 82.  
*Chamorro.* — O Fons Bandusiae, 93, 89.  
*Fañego.* — Carmen Allegoricum, 94, 109.

## VARIA

- Giral.* — Apollo, 92, 75, Neptunus, 93,  
 85; Mars, 94, 105.

## NOVA ET VETERA

- Mir.* — Corpus humanum — Aními re-  
 laxatio — Ludi, 90, 32; Infantia et adu-  
 lescentia, 91, 47; Idem, 92, 72; Juven-  
 tus et senectus, 93, 92; Idem, 94, 106;  
 De domo ejusque constructione, 95,  
 130.  
*López Pego* — De domus romanae na-  
 tura et partibus, 91, 43.

## CURIOSA ET JOCOSA

- Blasi, Miravé, Castaño, 90, 40  
 Ramos, García, Canals, Coscojuela, Co-  
 nejero, Sanz, Aspa, Alegre, 91, 60  
 Canals, López, Faulí, Toldrá, Ribas, Ta-  
 marit, 92, 80.  
 Canals, Ramos, Conejero, 93, 100.  
 Canals, Rodríguez, Conget, Minus. Fr.  
 Ingenuus, Ruber, 95, 140.

los primeros filólogos del siglo XVI,  
 100, 237.

- Mir.* — Menéndez Pidal, Cantar del Mío  
 Cid, vol II. Vocabulario, 97, 176.

- Jiménez.* — Bassols de Climent, Sinta-  
 xis histórica de la lengua latina, 98,  
 197.

- A. P.* — Fontoynt - Aramendia S. J.,  
 Vocabulario Griego, 99, 217. Profes.  
 del Col. Teresiano de PP. Carmelitas  
 de Calahorra, Técnica de las Oracio-  
 nes Latinas; Cr. Eserverri, Pbro., Dic-  
 cionario Etimológico de helanismos  
 españoles, 100, 238.

- Marija* — Edelvives, Lengua Latina, 2.<sup>o</sup>  
 y 3.<sup>o</sup> curso; Van Ooteghem S. J., Bi-  
 bliotheca Graeca et latina, 100, 237.

*Tristanius*. — J. M. O'Éza, S. J., Gramática de la lengua latina; Gr. Martínez Cabello, C. M. F., De arte metrica latina; C. Lerminaux, Grammaire latine, 101, 258; A. Tovar, Gramática histórica de la lengua latina, Sintaxis, 102, 262.

*García*. — León Leloir, Poésies lyriques grecques, 102, 262.

*Coscojuela*. — Trevelyan, O. M. L'histoire et le lecteur, 102, 262.

#### COMMERCIIUM EPISTULARE

*Molina, Mir*. — 98, 187.

*Ortega*. — 98, 188.

*Epistolia soluta*. — 98, 194; 100; 238; 101, 257.

*Avenula, Mir*. — 99, 214.

*Mir, Avenarius, Mir*. — 101, 248.

*Mir, Avenarius*, 102, 269.

#### COLLOQUIA IN SCHOLAM

*Pasquetti* — Qui dormit... nihil lucratur, 96, 136; Calcei Novi, 97, 174; Qui olet pauperem, pessime olet, 98, 195; Ego... non sum, ego, 215.

#### COMPOSITIONES VERTENDAE

Principios de la Literatura Latina; El mtope, 96, 132 — El que lo quiera que lo compre; Un sueño de Anfbal; Un perfecto vividor; Un niño inconsolable, 97, 179 — El dolor de un actor trágico; Un sarcasmo de Timón; Retrato de J. César; Ingenio de Aristipo, 94, 198 — Honradez de C. Fabricio, 99, 219 — Dolor de Augusto por la derrota de Q. Varo, 100, 239.

#### EXERCITATIONES SCHOLARES

Canals, De memorandis Dni. Quixotii gestis in processione V. Mariae, 96, 148.

Toldrá, Martín, 97, 162.

Fradera, García, López, De Taciti brevitate, 98, 195

Martín, Roura, Fradera, Foix, Codina, Vaquero, Suárez, 99, 218.

Casals, Corona, Martín, Un alumno de los Carm. de Calahorra; O navis, 100, 222.

Giralt, Martín, García, 101, 260.

Nogués, Leprosi parabola, 101, 256.

#### PHILOLOGICA

*Mir*. — *Varia ex commentariis*: porro, cur, pelor, pessumus, pessum, 97, 177.

#### HISTORICA

*García*. — De Verdaguero Poëta, 96, 133

*Mesa* — Pastorem habemus, 99, 203.

*Molina*. — Aelius Antonius Nebrissensis bonarum litterarum apud hispanos princeps, 102, 263.

*Coscojuela*. — De Nebrissensis vita, 102, 266.

#### LITTERAE

*Molina*. — De Hyacinthi Verdagueroii Canigone poemate, 96, 135.

*Ruiç*. — Comentario al canto VI de la Ilíada, 96, 139; 97, 173; 98, 139; 100, 229,

*Orth*. — De epigrammate Ptolemaei astronomi, 97, 171, De Lucretio, II 42-43, 99, 212; De Albino Platonico, 100, 225; Lucretiana, 100, 228; De Sappho Poëtria, 101, 243; De biblioteca Horatii, 102, 268.

*Ciprotti*. — Ut latine scribamus et loquamur quae sit veterum inscriptionum utilitas, 98, 183; 99, 205; 100, 223.

*Avenarius*. — Andreana, 102, 272.

#### NOVA ET VETERA

*Mir*. — Pars interior domus, 96, 140 — Vicus hiberno tempore, 97, 169 — Villa verno tempore, 98, 191 — Messis, Agri aspectus, 99, 210 — De cena et prandio (echartario scholastico), 99, 208 — Venatio Vindemia, Piscatio, 100, 231 — Mons-Balnea, 101, 250 — Silva-Venatio, 102, 274.

*Lurç, Mir*. — De mensuris ponderibusque, 97, 163

#### NECROLOGICA

In memoriam Aloisii Canals, 97, 179.

*Mesa*. — In memoriam Aloisii Canals, 98, 187.

#### POETICA

*Molina*. — Quis fuit horrendos... (Interpretatio) 101, 242.

*Chamorro*. — A una fuente (traducción horaciana), 101, 259.

*Canals*. — Salve aeterne vates! 96, 131.

*Viñas.* — Somnium Elisabeth, 96, 146.  
*Martija.* — In Provinciam Catalaunien-  
sem, 97, 166 — Excmo. ac Rmo. P.  
Arcturo Tabera, C. M. F., 99, 201.  
*Ortega.* — In Aloisii Canals memoriám,  
98, 186 — Rdo. P. J. Carrillo gratula-  
tio, 99, 202 — Pio Papae XII. 100, 222.  
*Fanego.* — Carmen amoris, 100, 227.  
*Urquiola.* — Jesu et Stae. Teresiae col-  
loquium, 104, 254 — Stae. Clarae A.  
laus, 202, 271.  
*Marcos.* — Beatam me dicent ... 101,  
255.  
*Manleón.* — Ad Aellum, 102, 261.

VARIA

*Giral.* — Mercurius, 96, 147 — Minerva,  
97, 167 — Diana, 98, 194.  
*Sarmiento.* — Animalia, 1.º aves, 100,  
234 — Schola, 101, 244.

CURIOSA ET JOCOSA

Canals, López, Faulí, Toldrá, Ribas, Ta-  
marit, 92, 80.  
Canals, 97, 180  
Peláez, García, Catalá, 98, 200.  
Ortiz, Carra, Mialet, Peláez, 99, 200.  
Casas, Valencia, Catalá, García, Bosor,  
100, 239.  
Mauleón, 102 280.

## CURIOSA ET JOCOSA

### 163. — EPIGRAMMA

Edax cum nimium venisset hospes  
Ad supra tenuem modum tabernam:  
«Quae cena est hodie?» subinde dixit  
Cui caupo: «Jubeam vis ut puellam  
Ovum, si libeat, parare lautum?»  
«Non est cur jubeas si adhuc sapor  
Quid servas vituli prioris», inquit.  
«Nobis heu miseris — ad haec puella —  
Si nostrae quotiens petis tabernae  
Limen, mors asino superveniret!»

### 164. — MEDICUS ET ADVENA

ADVENA — Dicitur haec regio valde malefida salutí  
Esse, nec immerito talia fama refert.  
MEDICUS. — Fortasse, at nobis nihil est jucundius illa.  
ADVENA. — Eccur? MED — Quod medicus praedicor oppiduli.

### 165. — ARGUTE

LUCINIUS. — Felix ille, locus cui mortis cognitus esset!  
CANDIDUS. — Quo pacto? LUC — Ut fugeret, Candide, semper eum.

### 166. — INFANTILIS CURIOSITAS

PUER. — Quare caesaries vicino est candida nostro  
Nigraque barba tamen? MATER. — Pauca quod ille, puer,  
Verba movens, cerebro, ni fallor, multa peregit.  
PUER. — «Nunc capio cur sit candida barba patril!»

### 167. — INGENUE

MATER. — At cur obdormis accensa lampade, fili?  
TITUS. — Ut res per somnum clarius aspiciam!  
Isidorus MAULEON, C. M. F.